

stificatio & salus aeterna easdem semper causas habeant, eademque media, ita sane, ut vtraque intuitu filius in Seruatorem fidei obtineatur; quod in iustificatione bona Opera non queant esse praesentia, quum in initio conuer- sionis, nempe in contritione, peccator Deum timere de- beat, adeoque amare non possit, nec, nisi post impetra- tam in Christum fiduciam, huiusque respectu obtentum iustificationis beneficium, cum temporis aliquo, licet exiguo, interuallo, Deo gratias mente agere possit, quae autem gra- tiarum actio initium est amoris erga Deum sub gratia coo- perante in renouatione, primum locum inter B. O. tenen- tis. Facile praeterea concedimus, iustificatis atque saluan- dis necessaria esse bona Opera necessitate praecepti, (quin- imo necessitate connexionis reciprocae cum fide) non au- tem necessitate medii causalitatis. Ad id vero, quod Moers- kenius, & ipsius refutatores historiam conuersi in cruce la- tronis ita interpretantur, quasi absque omni bono Opere ad salutem aeternam peruererit, vel duobus annotare ver- bis liceat, recentiores Exegetas non male obseruasse, la- tronem hunc non fuisse sine omni bono Opere, siquidem correptione fraterna amorem suum erga socium criminis atque supplicii luculenter manifestarit.

§. XI.

DE ERRORIBVS MOERSKENII IN S. COENA.

Secundo loco recensebimus, quantum per paucitatem documentorum dici poterit, errores Moerskenii in articulo de S. Coena. Praesentiam Corporis & Sanguinis Domini nostri